K. B. Humanistisches Gymnasium
in
Bayreuth.

Programm
am Schlusse des Jahres 1898/99.

De verborum lusu apud Platonem

scripsit

Maximilianus Scholl.

Bayreuth.
Druck von Lorenz Ellwanger vorm. Th. Burger.
1899.

Similem laudem ac Panaetius, a quo Platonem Homerum philosophorum appellatum esse Cicero auctor est (Tusc. I, 32, 79), Quintilianus elocutioni huius viri tribuit, cum dicit (inst. orat. X, 81) in Platone divinam quandam et Homericam eloquendi facultatem esse. Hac laude quin illum imprimis propter miram comparationum varietatem dignum iudicaverit, dubium non est. Comparationibus propinquae sunt translationes, quarum ille tantam subtilitatem et praestantiam assecutus est, ut non solum omnes solutae orationis scriptores hoc in genere facile superaverit, sed etiam multis poetis anteponendus esse videatur.

In his multisque aliis sermonis virtutibus non minima mihi esse videtur salium atque facetiarum acutissimarum maxima copia, quo in genere Plato aemulus praestantissimorum comoediarum scriptorum exstitisse recte iudicari potest. Ac saepissime nobis in illius libris occurrunt verborum lusus, qui efficiuntur aut similitudine aliqua vocum aut eiusdem verbi contraria significatione, quarum figurarum Quintilianus alteram *παρονομασίαν*, alteram *ἀντανάκλασιν* vocat (IX, 66 — 70).

Et Ast quidem atque Stallbaum, cum in varia figurarum genera diligentissime animum attenderent, in editionibus suis plurimos lusus iam notaverunt; sed cum etiam sint, quos illi praetermiserint, et alii, quos notaverint tantum neque satis explicaverint, operae pretium mihi visum est omnes Platonis verborum lusus colligere et in certum quendam ordinem redactos sub uno quasi aspectu ponere.

Hac in quaestione textum secutus sum editionis Martini Schanzii (Platonis opera, quae feruntur omnia, ad codices denuo collatos edidit Martinus Schanz. Lipsiae 1875—1887),

cuius praestantissimae editionis eam partem, quae continet Parmenidem, Politicum, Philebum, libros de republica, Timaeum, Critiam, libros VII—XII de legibus, nondum editam esse vehementer dolui. In eis dialogis, qui nondum editi sunt a Martino Schanzio, potissimum textum Caroli Friderici Hermanni (Platonis dialogi secundum Thrasylli tetralogias dispositi. Lipsiae, 1868—1871) secutus sum. Praeter has editiones magnae mihi utilitati fuerunt editiones Astii et Stallbaumii.

Apud scriptores Graecos verborum lusus rariores esse quam apud Romanos, et his ipsis multo crebrius nostra aetate Francogallos hoc facetiarum genere uti rectissime dicit Woelfflin (Das Wortspiel im Lateinischen. Sitzungsbericht der Kgl. bayer. Akademie der Wissenschaften 1887, II. Bd. pag. 188 init.). Tamen etiam Graecos, cum essent homines risus et salium amantissimi, saepissime lusisse in verbis nemo non cognoscet, qui illorum libros evolverit; atque adeo in eo lusuum genere, quo luditur in significationibus nominum propiorum, Graeci facile superant Latinos, quippe quibus nominum et multitudine atque varietate et naturali quadam significandi vi ita praestent, ut inter se comparari non possint. Iam apud Homerum multi verborum lusus inveniuntur, quorumexempla quaedam infra ponam:

Il. II, 758: *τῶν μὲν Πρόθοος θοὸς ἡγεμόνευεν* etc.

Od. XXIV, 465 et 466: *Ἀλλ' Εὐπείθει πείθοντ'.*

Od. XVIII, 73: *Ἦ τάχα Ἶρος Ἄιρος ἐπίσπαστον κακὸν ἕξει.*

Il. IV, 354: *Τηλεμάχοιο φίλον πατέρα προμάχοισι μιγέντα* etc.

Τηλέμαχος cum sit is, qui eminus pugnet, sententia huius versus haec est: Pater eminus pugnantis comminus pugnat immixtus propugnatoribus.

Il. XII, 343: *ἔρχεο, δῖε Θοῶτα, θέων Αἴαντα κάλεσσον,* etc.

Il. VI, 201: *ἤτοι ὁ κὰπ πεδίον τὸ Ἀλήιον οἶος ἀλᾶτο.*

Il. VI, 194: *τέμενος τάμον ἔξοχον ἄλλων* etc.

Il. IX, 137: *νῆα ἅλις χρυσοῦ καὶ χαλκοῦ νηήσαντο* etc.

Pulcherrimus est lusus Il. XVI, 140—144:
ἔγχος δ' οὐχ ἕλετ' οἶον ἀμύμονος Αἰακίδαο
βριθὺ μέγα στιβαρόν· τὸ μὲν οὐ δύνατ' ἄλλος Ἀχαιῶν
πάλλειν, ἀλλά μιν οἶος ἐπίστατο π ῆ λ α ι Ἀχιλλεύς,
Π η λ ι ά δ α μελίην, τὴν πατρὶ φίλῳ πόρε Χείρων
Π η λ ί ο υ ἐκ κορυφῆς, φόνον ἔμμεναι ἡρώεσσιν.

Cf. Fäsi: „Die Bezeichnung Πηλιάς ist ohne Zweifel vom Berge Πήλιον hergenommen, nach dem Zusammenhange unserer Stelle scheint aber eine Anspielung auf πῆλαι und Πηλεύς darin zu liegen."

Comoediarum vero scriptores, quorum summa vis est in variis facetiarum generibus, saepissime ludunt in verbis. Cf. Carolus Holzinger, de verborum lusu apud Aristophanem. Vindobonae 1876.

Sed ne tragoediae quidem carent lusibus, ut Aesch. Prom. 85—86:
ψευδωνύμως σε δαίμονες Π ρ ο μ η θ έ α
καλοῦσιν· αὐτὸν γάρ σε δεῖ π ρ ο μ η θ έ ω ς.

„Sed quae poetis," dicat aliquis, „concedere non dubitamus, ut talibus nugis aures et animos audientium delectent, philosophis plane neganda sunt. Quid enim magis abhorret a philosophiae severitate et subtilitate qaam lusus et verborum ambiguitas, qua cum omnis disputandi ratio pervertatur, fieri non potest, ut teneatur illa perspicuitas, qua sublata tollitur ipsa philosophia?" Haec vera esse negare nobis non est in animo, nec philosophis concedimus, ut in ipsis definitionibus et argumentis, quibus nituntur philosophiae praecepta, in verborum ambiguitate ludant; sed Platoni, cum in scribendo dialogi forma usus sit et Socratem cum familiaribus et sophistis colloquentem iuducat, licebat saepe a severiore disserendi more digredi et personas dialogi liberius colloquentes facere, ut poetarum more non solum doceat, sed etiam delectet legentium animos; nam referti sunt eius libri salibus urbanissimis et lepidissimis, ut non solum qui philosophiae student, sed omnes, qui venustate et lepore disputandi delectantur, ex Platonis dialogis summam voluptatem capiant.

Et de singulis quidem verborum lusibus priusquam disseram, definiendum est, quid sid lusus verborum; quae quaestio cum habeat aliquantum difficultatis, non possumus non pauca praefari de variis et veterum et recentiorum scriptorum hac de re sententiis.

Lusus verborum in facete dictis numerandi sunt, quae ipsa ex eo genere sunt, quod ridiculum (a nobis „das Komische") vocatur. Primum igitur quaerendum est, quid sit ridiculum, quid facete dictum.

Hac de re veteres admodum pauca tradiderunt, quae commemoratione digna sint. Cicero de ridiculis nec a Graecis quidquam disci posse dixit (de Orat. II, 54, 217: „Itaque cum quosdam Graecos inscriptos libros esse vidissem de ridiculis, nonnullam in spem veneram posse me aliquid ex istis discere: inveni autem ridicula et salsa multa Graecorum; nam et Siculi in eo genere et Rhodii et Byzantii et praeter ceteros Attici excellunt; sed qui eius rei rationem quandam conati sunt artemque tradere, sic insulsi exstiterunt, ut nihil aliud eorum nisi ipsa insulsitas rideatur.") nec ipse definitionem affert, locum tantum et regionem quasi ridiculi circumscribit, quod dicit (de Orat. II, 58, 236) turpitudine et deformitate quadam contineri. Cf. ibid. 236: „Haec enim ridentur vel sola vel maxime, quae notant et designant turpitudinem aliquam non turpiter." Quae cum dicit vir acutissimus, quamquam non vim et naturam ridiculi definivisse, tamen quasi originem et fontem aperuisse videtur. Cf. Cuno Fischer, Ueber den Witz, 2. Aufl. Heidelberg, 1889, pag. 41: „Jede Verunstaltung ist ein Ausdruck gehemmter Freiheit, also im offenen Widerstreit mit der ästhetischen Betrachtung, welche selbst sich im Zustande völliger Freiheit befindet. Diesen Widerspruch des Objekts mit der ästhetischen Betrachtung oder, anders gesagt, die Verunstaltung als Gegenstand bloßer Vorstellung nenne ich das Häßliche im weitesten Sinne des Wortes."

„Hier entsteht der Kontrast von unwillkürlich komischer Wirkung. Nichts kann der Betrachtung im Zustande völliger Freiheit ungleicher sein und ihr gegenüber niedriger erscheinen als ein Ob-

jekt derselben Gattung im Zustande völliger Unfreiheit, im Ausdruck seiner gehemmten Freiheit, d. h. in seiner Verunstaltung. Gerade um dieses Kontrastes willen muß das Häßliche, rein ästhetisch genommen, eine komische Wirkung machen; in der Betrachtung desselben muß sich das Selbstgefühl erhöhen und darum die Vorstellung erheitern. Ich nenne das Häßliche, sofern es in den komischen Kontrast eingeht und die Gegenseite desselben ausmacht, das Lächerliche. Das Lächerliche in diesem Sinne ist die erste und niedrigste Stufe des Komischen."

Idem Cuno Fischer negat definitionem excogitari posse, quae vim et naturam faceti ita exprimat, ut nihil desideretur. Cf. Cuno Fischer pag. 13—14:

„Wenn eine richtige wissenschaftliche Erklärung einer fruchtbaren, faßlichen und genauen Formel gleichen soll, woraus sich der Gegenstand seinem ganzen Umfange nach sicher und leicht entwickeln läßt, so möchte sich kaum eine Definition des Witzes vorfinden lassen, welche diese Probe besteht. Entweder sind die versuchten Erklärungen zwar faßlich, aber bei weitem nicht treffend, oder sie sind wohl tiefer und gründlicher angelegt, aber nicht einfach und klar genug, um die Entwicklung und den Reichtum der Formen verständlich zu machen."

Sed quamquam spe privamur ea, quae quaerimus, brevi definitone exprimi et comprehendi posse, tamen ipse C. Fischer eo libello, quem supra commemoravimus, et post illum Theodorus Lipps (Komik und Humor. Eine psychologisch-ästhetische Untersuchung. Hamburg und Leipzig, 1898.) tam copiose et subtiliter de his rebus egerunt, ut non dubitem illos auctores sequi et illorum verbis quam brevissime ea, quae nobis proposita sunt, explicare.

Th. Lipps priorum sententias examinans et corrigens de natura ridiculi pag. 40 haec disserit: „Die Wolffsche Schule bezeichnet den komischen Kontrast als einen Kontrast zwischen Vollkommenheiten und „Unvollkommenheiten." Deutlicher redet Kant. Ihm zufolge entsteht die Komik aus der plötzlichen Auflösung einer Erwartung in „Nichts." Nach Jean Paul ist das Lächerliche das unendlich „Kleine", das zu einem Erhabenen in Gegensatz tritt. Und dieselbe Anschauung begegnet uns in der folgenden

Geschichte der Aesthetik immer wieder, in den mannigfachsten Modifikationen, in geistvollster Weise durchgeführt von Vischer."

„Die Antwort auf die Frage nach dem Grunde der Komik, die ich meine, liegt aber im Grunde auch schon in der gewöhnlichen und jedermann geläufigen Gegenüberstellung des Erhabenen und des Komischen oder Lächerlichen. Wie kann man es unterlassen, das Recht solcher Anschauungen und Wendungen wenigstens zu prüfen?"

„Ein Kleines, ein relatives Nichts, dies liegt in allen diesen Wendungen, bildet jederzeit die eine Seite des komischen Kontrastes; ein Kleines, ein Nichts, nicht überhaupt, sondern im Vergleich zu demjenigen, mit dem es kontrastiert. Die Komik entsteht eben, indem das Kleine an dem Andern, zu dem es in Beziehung gesetzt wird, sich mißt und dabei in seiner Kleinheit zu Tage tritt."

„Damit ist auch schon gesagt, daß das Kleine in der Vorstellungsbewegung, die dem Eindruck der Komik zu Grunde liegt, jederzeit das zweite Glied sein muß, d. h. dasjenige, zu dem wir in unserer Betrachtung übergehen, nicht der Ausgangspunkt, sondern der Zielpunkt der Bewegung. Wir mögen immerhin das Kleine schon vorher wahrgenommen oder ins Auge gefaßt haben, klein erscheinen im Vergleich zur anderen Seite des Kontrastes kann es doch erst, nachdem wir den Maßstab, den die andere Seite liefert, aus der Betrachtung derselben schon gewonnen haben."

Haec fere sunt, quae nobis ex illo libro ascribenda esse videbantur, quibus natura ridiculi ita explanatur, ut, quod ego sciam, meliora reperiri non possint. Sales sive facete dicta quamquam saepe ridiculo confunduntur, non tamen idem sunt quod illud — latius enim patet ridiculum — sed pars quodammodo et genus ridiculi. Optime C. Fischer, quamquam idem, ut supra commemoravimus naturam faceti plane et accurate definiri posse negat, hac ipsa de re disserit, cum dicit pag. 50 et 51:

„Es (scl. „der Witz") muß also ein Urteil sein, welches in demselben Augenblick zugleich erhellt und erheitert; und wie die ästhetische Freiheit in der spielenden Betrachtung der Dinge be-

stand, so muß dieses Urteil, welches aus der ästhetischen Freiheit entspringt und sie wieder erzeugt, seine Aufgabe spielend lösen. Dieses spielende Urteil ist der Witz."

Haec pluribus explicantur pag. 51—53: „Der Witz ist ein spielendes Urteil. Er wäre überhaupt kein Urteil, wenn er nicht eine Vorstellung erleuchtete; diese Erleuchtung wäre völlig unwirksam und so gut als keine, wenn sie etwas erhellte, das bereits vollkommen hell ist und im platten alltäglichen Sonnenschein unserer gewöhnlichen Vorstellung liegt. Es muß also ein Urteil sein, wodurch etwas Verborgenes oder Verstecktes hervorgeholt und erleuchtet wird: hier ist das Merkmal, das die herkömmlichen Erklärungen des Witzes richtig geahnt, falsch ausgedrückt, zu eng gefaßt und irrtümlich zu dem entscheidenden Kennzeichen gemacht haben. Aber diese Erleuchtung würde nicht witzig sein, wenn sie nicht spielend wäre; sie wäre nicht spielend, wenn sie nicht augenblicklich klar und faßlich wäre. Leicht, wie die ästhetische Freiheit, ist die Natur und das Element des Witzes. Muß man erst lange nachdenken, um ihn zu finden, so ist sein Spiel verloren. Was der Witz erleuchtet, tritt mit einemmale aus dem Dunkel in das Licht, aus dem Verborgenen in die deutlichste Helle, etwas völlig Ungeahntes wird mit einemmale etwas völlig Bewußtes. Weil er spielend verfährt, darum muß der Charakter seiner Wirkung plötzlich, die Erheiterung, die er bringt, eine Ueberraschung, die Erleuchtung, die er erzeugt, ein augenblicklicher Lichtschein, ein Schlaglicht sein."

„Und nicht bloß in seiner Wirkung, auch in seiner Entstehungsart trägt der echte Witz diesen Charakter. Er will nicht mühselig gemacht, nicht durch künstliches Nachdenken produziert sein, sondern er entsteht plötzlich, er kommt und ist da, er kommt ohne besonderes Zuthun, wie eine Glücksgabe des Zufalls. Wir haben im Deutschen ein gutes Wort, diese Entstehungsart zu bezeichnen: der Witz ist kein künstlich erdachtes und überlegtes Urteil, sondern ein Einfall. Die Gabe des Witzes besteht darin, gute Einfälle zu haben. Ein solcher Einfall ist ein Urteil, welches spielend entsteht."

His cum assentiatur Th. Lipps (pag. 92: „Endlich wüßte ich im Grunde nichts einzuwenden gegen Kuno Fischers allge-

meine Definition des Witzes als eines spielenden Urteils"), nulla est causa, cur non sequens doctissimorum virorum auctoritatem Fischeri definitione contentus sim.

His absolutis restat, ut definiamus lusum verborum quod priusquam aggrediamur, nobis audiendi sunt Cicero et Quintilianus, gravissimi harum rerum auctores et praeceptores. Complectuntur autem lusus verborum, quos vocamus, eam figuram, quam veteres *ἀνταναχλασιν* vocant, et partem eius, quae *παρονομασία* sive annominatio appellatur; nam non omnes annominationes in lusibus verborum numerandas esse suo loco exponam.

Haud esse facile figuras et a tropis et inter se distinguere rectissime dicit Volkmann (Rhetorik der Griechen und Römer pag. 456): „Ihre (scl. „der Figuren") technische Behandlung ist mit manchen Schwierigkeiten behaftet, ein Umstand, auf welchen bereits Quintil. IX, 1 und Alexander p. 9 gebührend hingewiesen haben."

Eandem difficultatem nobis in definitione annominationis occurrere affirmat Woelfflin (das Wortspiel im Lateinischen. Sitzungsberichte der Kgl. bayer. Akademie der Wissenschaften, Jahrgang 1887, II. Band, pag. 208): „Die Definitionen der rhetorischen Lehrbücher, wie überhaupt die alten Definitionen der Tropen- und Figurenlehre, lassen zu wünschen übrig, auch wenn man unsere Ergänzungen nicht annimmt, und die späteren Rhetoren weichen vielfach von den früheren ab."

Equidem secutus sum Ciceronem et Quintilianum et auctorem eius libri, qui a quibusdam Ciceronis esse existimatur et inscribitur: Rhetoricum ad C. Herennium; hi enim hac de re idem fere sentiunt.

Hae autem sunt illorum definitiones: Rhet. ad C. Her. lib. IV, cap. XXI, 29: „Annominatio est, cum ad idem verbum et ad idem nomen acceditur commutatione unius litterae aut litterarum, aut ad res dissimiles similia verba accommodantur."

Cic. de Orat. lib. III, cap. 54, 206: „paullum immutatum verbum atque deflexum;" ibid. lib. II, cap. 63, 256:

„Alterum genus est, quod habet parvam verbi immutationem, quod in littera positum Graeci vocant *παρονομασίαν*;" Orat. cap. 25, 84: „immutatione litterae quasi quaesitae venustates;" ibid. cap. 39, 135: „cum verba leviter commutata ponuntur. Quint. lib. IX, 3, 66: „Tertium est genus figurarum, quod aut similitudine aliqua vocum aut paribus aut contrariis convertit in se aures. Hinc est *παρονομασία*, quae dicitur annominatio." *Ἀντανάκλασις* ab eodem definitur: „eiusdem verbi contraria significatio." (Lib. IX, 3, 68.) Cicero *ἀντανάκλασιν* vocat ambiguum. (De Orat. lib. II, cap. 61, 250, cap. 62, 253 sequ.)

Facile est intellectu veteres etiam lusus quosdam soni „(Klangwitze"), quibus nihil inest ambigui vel faceti, quique tantum similitudine quadam vocabulorum aures in se convertunt, in annominationibus posuisse. Hoc annominationum genus igitur definitione nostra excludendum esse videbatur. Definimus autem lusum verborum sic: Lusus verborum est id genus facete dictorum, quod efficitur aut unius verbi ambiguitate aut complurium verborum parium aut similium ambiguitate aut faceta quadam sententiae diversitate.

Eas annominationes, quae non lusus verborum, sed lusus soni existimandi sunt, ne omnino praetermisisse videar, in appendice posui illas, quae mihi commemoratione dignae esse videbantur.

Verborum lusus in duas divisi partes, quarum altera tractarem eos, qui singulorum verborum ambiguitate constant, altera eos, qui efficiuntur complurium verborum parium aut similium ambiguitate aut faceta quadam sententiae diversitate.

Exclusi hac quaestione eos tantum dialogos, qui omnibus fere doctis spurii (si hoc verbo uti licet) esse videntur, et malui falsos et quodammodo subditos quosdam tractare quam veros ac germanos praetermittere. Sunt autem hi, quos tractavi: Charmides, Laches, Lysis, Eythyphro, Apologia, Crito, Alcibiades I et II, Io, Hippias maior, Hippias

minor, Eythydemus, Protagoras, Meno, Gorgias, Cratylus, Theaetetus, Sophista, Politicus, Parmenides, Phaedrus, Convivium, Phaedo, Philebus, De republica, Timaeus, Critias, De legibus.

Sed iam aggrediamur ad singulos lusus!

Pars prior.

Libentissime Plato ludit in nominibus propriis; cuius generis lusus qui hac parte tractandi sunt, hi sunt:

Gorg. 463 E: *Εἰκότως γε, ὦ Γοργία· οὐδὲν γάρ πω σαφὲς λέγω, Πῶλος δὲ ὅδε νέος ἐστὶ καὶ ὀξύς.*

Hoc loco ad significationem verbi *πῶλος* (pullus) alludi rectissime censet Schleiermacher. Facetissime enim per totum colloquium Socrates Polo, adulescenti vano et temerario, illudit. Hoc multis ex locis cognosci potest, ut paullo inferius (463 E), cum dicit: „*εἰ δὲ μὴ τυγχάνει ὂν τοῦτο, Πῶλος ὅδε ἐλέγξει.*" Pulcherrima dissimulatione adulescentulum ludibrio habet 461 C, quo loco eum sane impudenter et rustice Gorgiae et Socratis disputationem interpellantem his verbis alloquitur: „*Ὦ κάλλιστε Πῶλε, ἀλλά τοι ἐξεπίτηδες κτώμεθα ἑταίρους, ἵνα, ἐπειδὰν αὐτοὶ πρεσβύτεροι γιγνόμενοι σφαλλώμεθα, παρόντες ὑμεῖς οἱ νεώτεροι ἐπανορθῶτε ἡμῶν τὸν βίον καὶ ἐν ἔργοις καὶ ἐν λόγοις.*"

Phaedo 95 A: *Εἶεν δή, ἦ δ᾽ ὃς ὁ Ἐχεκράτης, τὰ μὲν Ἁρμονίας ἡμῖν τῆς Θηβαικῆς ἵλεά πως, ὡς ἔοικε, μετρίως γέγονε· τί δὲ δὴ τὰ Κάδμου, ἔφη, ὦ Κέβης, πῶς ἱλασόμεθα καὶ τίνι λόγῳ;*

Facetissime (cf. Stallb.) Simmiae Thebani, qui animam corporis harmoniam quandam esse contendebat, dubitatio Harmonia, Cadmi uxor, Cebetis, Thebani et ipsius, Cadmus

vocatur. Per totum enim dialogum hi Thebani quasi foedere icto dubitationibus argumenta Socratis labefactare conantur, non quo sapientissimi viri animi tranquillitatem perturbare velint, — nam non minorem eorum erga illum benevolentiam fuisse quam aliorum amicorum ex multis illius dialogi locis apparet — sed cum eis persuasum sit verum omnibus aliis rebus anteponendum esse, et Socratem ipsum male laturum esse, si amicitia vel verecundia ducti, quae sentiant, celare videantur.

Et Simmiae quidem sententia facile a Socrate refutatur. Cum enim omnes, qui aderant, concessissent recte Socratem existimare animas, cum omnis cognitio esset recordatio, priusquam in corporibus quasi in carcere inclusae essent, alio loco fuisse, ubi rerum notiones percepissent, Socrates docet ex eo, quod animae ante hanc vitam fuerint, sequi, ut illae etiam sine hoc corpore esse possint; ergo non posse animam cum harmonia lyrae comparari, qua fracta etiam harmonia dissolvatur. Harmoniam cum lyra et nasci et interire, animae autem, cum ante corpus fuerit, non simul cum illo intereundum esse.

Simmia victo ad alterum adversarium conversus aggreditur ad Cebetis dubitationem refellendam, qui animam comparaverat cum textore, cui, quamquam multa vestimenta, quae ipse fecisset, contrivisset, tamen prius intereundum esset, quam ultimam contrivisset vestem. Quae dubitatio etsi nostrae aetatis philosophis multo minus difficultatis habitura sit quam illa Simmiae, Platoni multo difficilius erat eam refellere; nam quodammodo ad ipsa principia philosophiae suae illi redeundum erat (id est: ad illam idearum doctrinam) et disserendum de causa nascendi et intereundi (95 E: *ὅλως γὰρ δεῖ περί γενέσεως καὶ φθορᾶς τὴν αἰτίαν διαπραγματεύσασθαι.*) et docendum animae naturam esse eam, quae numquam vita privari posset, cum ipsa esset causa et origo vitae.

Probanda mihi igitur eorum videtur esse sententia, qui censent philosophum ea, quae ab illis Thebanis contra eum disputata erant, quasi in personas constituentem Simmiae

dubitationem, quam facile refutaverat et vicerat, cum Harmonia, quippe quae mulier fuisset, Cebetis cum Cadmo, viro fortissimo, comparavisse.

Hoc et alii negant et Albertus Bischoff (Platos Phädon. Eine Reihe von Betrachtungen zur Erklärung und Beurteilung des Gesprächs. Erlangen 1866.), qui pag. 161 et 162 haec dicit: „Allzuweit möchte aber die Deutung gehen, daß damit, daß die Rede des Simmias mit einer Frau, die des Kebes mit einem Manne verglichen werde, das größere Gewicht der letzteren vor der ersteren ausgedrückt sei. Auf diese Weise könnte man noch weiter gehen und sagen, Kadmus sei ein Sterblicher, Harmonia aber eine Göttertochter (die Tochter des Ares und der Aphrodite, nach andern des Zeus) gewesen, wodurch das Umgekehrte herauskäme.“ Et paullo inferius pag. 162 dicit: „Allein daß der Einwand des Kebes schwerer zu erledigen war, ist nicht ein Beweis dafür, daß er scharfsinniger gewesen ist, da Kebes nicht sowohl wie Simmias eine Behauptung aufgestellt, sondern vielmehr eine Frage aufgeworfen hatte, Kritisieren aber immer leichter ist als einen positiven Beweis führen.“

Sed nobis non est in animo affirmare Cebetis dubitationem acutioris ingenii esse videri quam Simmiae; sed Socrati (id est Platoni) illam maiorem difficultatem attulisse quam hanc ne Bischoff quidem negat; et hanc ob rem Simmiam cum muliere, Cebetem cum viro comparari maxime est verisimile. Quod autem Cadmus mortalis, Harmonia dis orta esse dicitur, nobis investigandum est, quid Plato hac comparatione spectaverit, non quid spectari possit; nam haud scio an Platonis haec scribentis animum non subierit cogitatio Cadmum mortalem, Harmoniam deorum filiam fuisse.

Non minus facete Symp. 174 B uno verbo versus cuiusdam mutato lepidissimus lusus efficitur. Socrates enim Aristodemum, qui ad Agathonis convivium invitatus non erat, illuc se sequi iubens: *„Ἕπου τοίνυν, ἔφη, ἵνα καὶ τὴν παροιμίαν διαφθείρωμεν μεταβάλλοντες, ὡς ἄρα καὶ ἀγαθῶν ’πὶ δαῖτας ἴασιν αὐτόματοι ἀγαθοί.“*

Cf. Stallb.: Versiculus, ad quem respicitur, hic est: *αὐτόματοι δ᾽ἀγαθοὶ δειλῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν,* v. Schol."

Huius proverbii sententiam in contrarium convertens, cum *ἀγαθῶν* pro *δειλῶν* ponit, lepidissime alludit Socrates ad Agathonis nomen.

Hoc loco lectionem Martini Schanzii secutus non sum; scribit enim ut Lachmann *'Ἀγάθων'* pro *ἀγαθῶν.* Sed neque accusativus *'Ἀγάθων'* hoc loco sine praepositione poni potest, neque fieri potest, ut vocabulum *δειλῶν* mutetur in nomen proprium *'Ἀγάθωνα,* quocum ei nihil est commune. Mutari tantum potest in contrarium: *ἀγαθῶν,* quo alluditur etiam ad nomen Agathonis.

Phaedr. 244 A: *Οὑτωσὶ τοίνυν, ὦ παῖ καλέ, ἐννόησον, ὡς ὁ μὲν πρότερος ἦν λόγος Φαίδρου τοῦ Πυθοκλέους, Μυρρινουσίου ἀνδρός· ὃν δὲ μέλλω λέγειν, Στησιχόρου τοῦ Εὐφήμου, Ἱμεραίου.*

Hunc lusum optime explicavit Ast.: „Oratio prior, inquit, dicitur Phaedri esse, cuius nomine significatur is, qui vana oblectatur specie; isque filius vocatur Pythoclis, quo homo famae et gloriae cupidus designatur; praeterea Myrrhinusius vocatur, quasi in toris myrteis cubans, quod moris est delicatorum et otiosorum. Alterius contra orationis, quam Socrates dicturus est, ingenium vere musicum ac religiosum egregie hoc indicatur, quod Stesichori fingitur esse. Stesichorus videlicet a choris instituendis nomen invenit; porro filius fuit Euphemi, quo vir pius significatur, et Himera oriundus, quo vir amore (*ἱμέρῳ*) quasi initiatus designatur."

Nominibus propriis absolutis de aliis vocabulis agamus.

Eythyphr. 3 B Socrates per iocum dicit sibi a Meleto crimini dari, quod „*ποιητὴς θεῶν*" sit (deos faciat et creet) alludens ad Meletum, qui carmina condebat. Cf. Stallb.

In vocabulo *νοῦς* luditur Phaed. 97 D: *ταῦτα δὴ λογιζόμενος ἄσμενος εὑρηκέναι ᾤμην διδάσκαλον τῆς αἰτίας περὶ τῶν ὄντων κατὰ νοῦν ἐμαυτῷ, τὸν 'Ἀναξαγόραν* etc.

Hoc de loco Stallb. dicit: „Ludit huius formulae (*κατὰ νοῦν*) usu, respiciens ad *νοῦν* illum Anaxagorae."

Gorg. 472 B: *οὐ γάρ με σὺ ἀναγκάζεις, ἀλλὰ ψευδομάρτυρας πολλοὺς κατ' ἐμοῦ παρασχόμενος ἐπιχειρεῖς ἐκβάλλειν με ἐκ τῆς οὐσίας καὶ τοῦ ἀληθοῦς.*

Stallb.: „Ludit in ambiguitate vocis *οὐσίας*, quae et de bonis ac facultatibus dicitur, et de eo, quod re vera est." Hoc loco Socrates ut multis aliis locis illudens Polo, qui non dialectico, sed iudiciali more disputationes de philosophia tractans testium multitudine et vulgi opinionibus adversarium quasi obruere conatur, illum se falsos testes citando re familiari (de qua saepe in iudiciis agitur) privare velle dicit. Sed non de re familiari, sed de vero inter philosophos est contentio.

Similiter hoc in vocabulo luditur Soph. 246 A: „*Καὶ μὴν ἔοικέ γε ἐν αὐτοῖς οἷον γιγαντομαχία τις εἶναι διὰ τὴν ἀμφισβήτησιν περὶ τῆς οὐσίας πρὸς ἀλλήλους.*

Resp. 560 C et 561 E duo sunt lusus, qui ita cum contextu rerum, quae octavo libro tractantur, cohaerent, ut pluribus de eis disserendum sit.

Resp. 560 C: *κλήσαντες οἱ ἀλαζόνες λόγοι ἐκεῖνοι τὰς τοῦ βασιλικοῦ τείχους ἐν αὐτῷ πύλας* etc.

Resp. 561 E: *Παντάπασιν, ἦ δ' ὅς, διελήλυθας βίον ἰσονομικοῦ τινος ἀνδρός.*

Descripta forma optimae reipublicae, quam, si unus civitati praesit, *βασιλείαν*, si plures, *ἀριστοκρατίαν* vocat (cf. Resp. 445 D: *ἐγγενομένου μὲν γὰρ ἀνδρὸς ἑνὸς ἐν τοῖς ἄρχουσι διαφέροντος βασιλεία ἂν κληθείη, πλειόνων δὲ ἀριστοκρατία.*), hoc libro Plato explicat, quomodo haec in peius mutetur, et quae sint pravarum rerum publicarum formae earumque mutationes et conversiones. Cum autem civitatum leges atque instituta a civibus mutentur et convertantur, non potest cognosci, quibus de causis res publicae aliae fiant, nisi explicatum erit, quales sint hominum, formae et institutis singularum civitatium qui respondeant, mores atque ingenia. De his Plato haec fere disserit: Philosophorum illa aristocratia, si civium mores ambitione mala corrupti sunt, in timocratiam (graecis vocabulis utendum

est, cum latina desint) mutatur, in qua summa imperii est penes homines militares et honorum cupidos, ut in Lacedaemoniorum et Cretensium civitatibus; ex timocratia latius serpente pecuniae cupiditate oligarchia oritur, oligarchiae ab hominibus, qui voluptatibus inserviunt, in democratias, hae in tyrannides convertuntur.

Oligarchi, hominis divitis et parci (cf. 554 A: *θησαυροποιὸς ἀνήρ*), qui tantum necessarias expleat cupiditates (cf. 554 A: *τὰς ἀναγκαίους ἐπιθυμίας μόνον τῶν παρ' αὑτῷ ἀποπιμπλάς*), filius cum sit natus in omnium rerum maxima copia et expers eruditionis liberalis, declinat ad varias libidines, non tantum ad necessarias ut pater (cf. 561 A: *ἆρ' οὐχ οὕτω πως, ἦν δ' ἐγώ, νέος ὢν μεταβάλλει ἐκ τοῦ ἐν ἀναγκαίοις ἐπιθυμίαις τρεφομένου τὴν τῶν μὴ ἀναγκαίων καὶ ἀνωφελῶν ἡδονῶν ἐλευθέρωσίν τε καὶ ἄνεσιν;* etc.).

Pulcherima comparatione utens hoc Plato his verbis dicit 560 B: „*Τελευτῶσαι δή, οἶμαι, κατέλαβον τὴν τοῦ νέου τῆς ψυχῆς ἀκρόπολιν, αἰσθόμεναι κενὴν μαθημάτων τε καὶ ἐπιτηδευμάτων καλῶν καὶ λόγων ἀληθῶν, οἳ δὴ ἄριστοι φρουροί τε καὶ φύλακες ἐν ἀνδρῶν θεοφιλῶν εἰσι διανοίαις.*“

Quam continuans comparationem cum paullo post 560 C dicit: „*κλῄσαντες οἱ ἀλαζόνες λόγοι ἐκεῖνοι τὰς τοῦ βασιλικοῦ τείχους ἐν αὐτῷ πύλας* etc.,“ mihi quidem dubium non est, quin „*τοῦ βασιλικοῦ τείχους*“ lusus sit.

Quamquam enim traditum non est in arce Athenarum aut alio loco murum fuisse, cui nomen *βασιλικὸν τεῖχος* fuerit, tamen mihi persuasum est Platonem hac comparatione usurum non fuisse, nisi in murum quendam, hominibus illius aetatis notum, allusisset. Quam enim aliam causam fuisse putemus, cur id, quod supra *ἀκρόπολιν τῆς ψυχῆς* nominaverat, hoc loco *βασιλικὸν τεῖχος* appellaret? Et vocabulum *τεῖχος* quidem, ut continuaret comparationem, posuisse existimari potest, sed *βασιλικὸν* non nisi lusus causa adiectum esse intellegi potest.

561 E vocabulum *ἰσονομικοῦ* ambiguitatem continet. *Ἰσονομικὸς* vocatur homo popularis, qui id studet, ut om-

nibus civibus pares leges sint et par ius honorum. Cum autem is vir, qui oligarchiam in democratiam convertit, omnibus cupiditatibus, ut supra dictum est, pariter indulgeat (cf. 561 B: *εἰς ἴσον δή τι καταστήσας τὰς ἡδονὰς διάγει,* etc. et: *οὐδεμίαν ἀτιμάζων, ἀλλ' ἐξ ἴσου τρέφων*), fieri non potest, quin attente legentium animi ad recordationem eorum, quae paullo supra dicta sunt, excitentur, et eis *ἰσονομικὸς* non solum homo popularis, sed idem is esse videatur, qui omnibus cupiditatibus paria tribuat (*ἴσα νέμει*).

Theaet. 165 D: *ἐλλοχῶν ἂν πελταστικὸς ἀνὴρ μισθοφόρος ἐν λόγοις ἐρόμενος* etc.

Hoc loco sophistae milites levis armaturae dicuntur, qui illis temporibus mercede conducebantur, cum cives ipsi milites gravis armaturae stipendia facere solerent. Vocabulo *μισθοφόρος* philosophus non tantum comparationis causa usus esse videtur, sed ut sophistarum consuetudinem quaestum ex philosophia petendi vituperaret. Cf. Stallb. et Wohlrab.

Soph. 254 A sophistae *χαλεπότης* tribuitur: *ἑτέρου μὴν τρόπου ἥ τε τοῦ σοφιστοῦ χαλεπότης ἥ τε τούτου.*

Non solum difficultatem hic verbum *χαλεπότης* significare censeo, sed cum per totum dialogum sane facete sophistae illudatur (235 A *θὴρ* vocatur, 240 C *πολυκέφαλος,* 261 A *δυσθήρευτον τὸ γένος*) eique crimini detur, quod maligne quasi lucem fugiat et remotissimis locis delitescat, *χαλεπότητα* ambigue et difficultatem et tergiversationem quandam atque malitiam, qua sophista omnes conatus eorum, qui eum capere volunt, disturbare et ad irritum redigere conetur, significare existimo.

Similiter improbitati sophistae illuditur Soph. 261 A: *κατιδόντες δὲ τὸ ψεῦδος ὂν ἀποδείξωμεν, ἀποδείξαντες δὲ τὸν σοφιστὴν εἰς αὐτὸ ἐνδήσωμεν, εἴπερ ἔνοχός ἐστιν, ἢ καὶ ἀπολύσαντες ἐν ἄλλῳ γένει ζητῶμεν.*

Hoc loco *ἔνοχος* (scl. *τῷ ψεύδει*) similiter ponitur ac Theaet. 148 B *ἔνοχος τοῖς ψευδομαρτυρίοις.* Haec imitatio vocis ex iudiciali genere dicendi sumptae lusus mihi esse

videtur, cum in legentium animis duae simul cogitationes excitentur et erroris et falsi testimonii.

Politic. 266 E: *ἵνα μή με φθῇς ἐρωτήσας τὴν βραχυτέραν ὁδόν, ἥτις τότε ἦν ἐπὶ τὸν τοῦ βασιλέως ὅρον*, etc. *ὅρος* non solum proprie fines significat, sed etiam per translationem definitionem, qua significatione hoc loco ponitur; sed etiam finium cogitatio animos legentium subit, praesertim cum antecedat: *τὴν βραχυτέραν ὁδόν*.

Politic. 271 D: *καὶ δὴ καὶ τὰ ζῷα κατὰ γένη καὶ ἀγέλας οἷον νομεῖς θεῖοι διειλήφεσαν δαίμονες*, etc.

Vocabulo *νομεῖς* dei et pastores et divisores vocantur.

Verbum *βιάζεσθαι* ambigue (Stallb.: „Positum autem hic est per elegantissimam dilogiam.") positum est Soph. 241 D: *τὸν τοῦ πατρὸς Παρμενίδου λόγον ἀναγκαῖον ἡμῖν ἀμυνομένοις ἔσται βασανίζειν, καὶ βιάζεσθαι τό τε μὴ ὂν* etc.

Βιάζεσθαι dubium non est, quin hic valeat: argumentis probare sive evincere. Cum autem Plato comparatione utens (cf. paullo superius: *Μή με οἷον πατραλοίαν ὑπολάβῃς γίγνεσθαί τινα.* 242 A: *τολμητέον ἐπιτίθεσθαι τῷ πατρικῷ λόγῳ* etc.) Parmenidem patrem eius doctrinae, quae examinatur, et eorum, qui eam sequuntur, vocet, quasi parricidium tentare videtur peregrinus ille philosophus, Eleaticae disciplinae sectator, cum aggreditur ad Parmenidis praecepta examinanda, ut verbo *βιάζεσθαι* ad significationem „vim inferre" alludi videatur.

Resp. 551 E: *ἢ μὴ χρωμένους ὡς ἀληθῶς ὀλιγαρχικοὺς φανῆναι ἐν αὐτῷ τῷ μάχεσθαι.*

Plato docet oligarchas bellum gerere non posse; si enim plebi arma tradant, illam eis etiam magis timendam esse quam hostes, sin non, fore, ut vere oligarchae esse videantur in ipsa acie. Ex eo, quod opposuit „*ὡς ἀληθῶς*" apparet *ὀλιγαρχικοὺς* hic alio sensu (Stallb.: „cum faceta dilogia") usurpari ac vulgari.

Ὀλιγαρχικοὺς enim Graeci optimates appellare solebant, quos eosdem *τοὺς ὀλίγους* vocabant, etsi saepe non pauci,

sed multi erant, dum pauciores essent eis, quibus imperabant. Hoc loco autem vocabulum *ὀλιγαρχικοὶ* eadem significatione dicitur qua verbum *ὀλίγοι* proprio sensu usurpari solet, ut *ὀλιγαρχικοὺς* significet paucos.

Vocabulo *δρᾶμα* Plato saepe alio ac vulgari sensu utitur. Huius vocabuli naturalis et principalis significatio est: id, quod efficitur ab aliquo = *τὸ δρώμενον*; apud Platonem saepe significat id, quod faciendum est, sive munus, officium simulque alluditur ad aliam eiusdem verbi significationem: fabulam ad scenam compositam, ut Resp. 451 C: *Τάχα δὲ οὕτως ἂν ὀρθῶς ἔχοι, μετὰ ἀνδρεῖον δρᾶμα παντελῶς διαπερανθὲν τὸ γυναικεῖον αὖ περαίνειν* etc. Hic *γυναικεῖον* et *ἀνδρεῖον δρᾶμα* similiter ponitur ac Conviv. 222 D: *ἀλλὰ τὸ σατυρικόν σου δρᾶμα τοῦτο καὶ σιληνικὸν κατάδηλον ἐγένετο.*

Hunc locum (Resp. 451 C) Plutarchus imitatus esse videtur vit. Cleom. cap. 39: „*Ἡ μὲν οὖν Λακεδαίμων ἐφαμίλλως ἀγωνισαμένη τῷ γυναικείῳ δράματι πρὸς τὸ ἀνδρεῖον ἐν τοῖς ἐσχάτοις καιροῖς ἐπέδειξε τὴν ἀρετὴν ὑβρισθῆναι μὴ δυναμένην ὑπὸ τῆς τύχης.*

Duo similes lusus inveniuntur Theaet. 150 A: *Τὸ μὲν τοίνυν τῶν μαιῶν τοσοῦτον, ἔλαττον δὲ τοῦ ἐμοῦ δράματος.*

Ibid. 169 B: *σὺ δὲ κατ' Ἀνταῖόν τί μοι μᾶλλον δοκεῖς τὸ δρᾶμα δρᾶν.* Cf. Wohlrab.

Leg. 817 B: *ποιηταὶ μὲν οὖν ὑμεῖς, ποιηταὶ δὲ καὶ ἡμεῖς ἐσμὲν τῶν αὐτῶν, ὑμῖν ἀντίτεχνοί τε καὶ ἀνταγωνισταὶ τοῦ καλλίστου δράματος,* etc.

Hic non solum in verbo *δρᾶμα*, sed etiam in verbo *ποιητὴς* luditur, quod primum poetas, deinde simplicissimo et maxime proprio sensu effectores alicuius rei significat.

Phaed. 89 B: *Τήμερον, ἔφη, κἀγὼ τὰς ἐμὰς καὶ σὺ ταύτας, ἐάνπερ γε ἡμῖν ὁ λόγος τελευτήσῃ καὶ μὴ δυνώμεθα αὐτὸν ἀναβιώσασθαι.*

Stallb.: „Si apparuerit disputationem de animi immortalitate institutam vanam esse et falsam, ita ut nullo modo ab illis dubitationibus et reprehensionibus possit liberari ac

vindicari." *Τελευτᾶν* idem valere quod „*ὁ λόγος οἴχεται*," *ὁ λόγος ἐκφεύγει*" idem Stallbaum docet. Verbo *τελευτᾶν* Plato usus est, ut ei opponere posset *ἀναβιώσασθαι*. Quodsi potuerit *τὸν λόγον ἀναβιώσασθαι*, probatum erit animas ad vitam redituras esse. Primo enim huius dialogi, quo scriptor probare conatur animas hominum esse immortales, argumento demonstratur contraria gigni ex contrariis (p. 70 E), maiora ex minoribus, celeriora ex tardioribus, ita e vita transiri ad mortem et ex morte ad vitam; ergo animas quoque hominum, quae mortuae sint, reviviscere. Ad hoc argumentum verbis *τελευτᾶν* et *ἀναβιώσασθαι* alludi apparet.

Gorg. 501 A: *ἡ δ' ἑτέρα τῆς ἡδονῆς, πρὸς ἣν ἡ θεραπεία αὐτῇ ἐστιν ἅπασα, κομιδῇ ἀτέχνως ἐπ' αὐτὴν ἔρχεται, οὔτε τι τὴν φύσιν σκεψαμένη τῆς ἡδονῆς οὔτε τὴν αἰτίαν, ἀ λ ό γ ω ς τε παντάπασιν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, οὐδὲν διαριθμησαμένη*, etc.

De *ἀλόγως* dicit Stallb.: Ludit autem in ambiguitate vocabuli *ἀλόγως*, quod et de computando et de ratiocinando et cogitando potuit intellegi."

Νόμος cum sit et lex et cantus sive modus musicus, et *προοίμιον* cum ingressum et orationis vel libri vel legis idemque ingressum modi musici significet, hac verborum ambiguitate luditur Resp. 531 D: *ἢ οὐκ ἴσμεν, ὅτι πάντα ταῦτα π ρ ο ο ί μ ι ά ἐστιν αὐτοῦ τοῦ ν ό μ ο υ, ὃν δεῖ μαθεῖν*; et Tim. 29 D: *τὸ μὲν οὖν π ρ ο ο ί μ ι ο ν θαυμασίως ἀπεδεξάμεθα, τὸν δὲ δὴ ν ό μ ο ν ἡμῖν ἐφεξῆς πέραινε.* Cf. Stallb.

Similiter in verbo *προοιμιάζεσθαι* luditur Leg. 723 D: *ἐπὶ δὲ τὸν λόγον ἐπανέλθωμεν καὶ ἀπ' ἐκείνων ἀρχώμεθα, εἴ σοι φίλον, ὧν οὐχ ὡς προοιμιαζόμενος εἶπες τότε.*

Haec sunt, quae priore parte tractanda esse videbantur.

Altera pars.

Phaedr. 230 A: *σκοπῶ οὐ ταῦτα, ἀλλ' ἐμαυτόν, εἴτε τι θηρίον τυγχάνω Τυφῶνος πολυπλοκώτερον καὶ μᾶλλον ἐπι τεθυμμένον, εἴτε ἡμερώτερόν τε καὶ ἁπλούστερον ζῷον, θείας τινὸς καὶ ἀτύφου μοίρας. φύσει μετέχον.*

Vocabulo *ἄτυφος*, quod idem valet quod *ἁπλοῦν*, alluditur ad Typhonem, qui cum sit „*πολυπλοκώτατος*" simplicitati contrarius est.

Resp. 580 B: *Μισθωσώμεθα οὖν κήρυκα, ἦν δ' ἐγώ, ἢ αὐτὸς ἀνείπω, ὅτι ὁ Ἀρίστωνος υἱὸς τὸν ἄριστόν τε καὶ δικαιότατον εὐδαιμονέστατον ἔκρινε*, etc.

Similitudine vocabulorum *Ἀρίστων* et *ἄριστος* ludi apparet. Etiam aliis locis Socrates filios Aristonis summis laudibus effert propter virtutem et nobilitatem generis, ut Resp. 368 A, ubi elegiae cuiusdam, cuius auctorem Critiam fuisse Schleiermacher suspicatur, initium pronuntiat:

παῖδες Ἀρίστωνος, κλεινοῦ θεῖον γένος ἀνδρός.

Resp. 614 B: *Ἀλλ' οὐ μέντοι σοι, ἦν δ' ἐγώ, Ἀλκίνου γε ἀπόλογον ἐρῶ, ἀλλ' ἀλκίμου μὲν ἀνδρός, Ἠρὸς τοῦ Ἀρμενίου*, etc.

Facetissime una littera mutata *Ἀλκίνου* convertitur in *ἀλκίμου*. Cf. Stallb. Opponitur Alcinoo, homini molli et imbelli, qui tantum audierit fabulosas Ulixis narrationes, ipse nihil magni nec gesserit nec passus sit, Er, vir militaris, qui in acie caesus apud inferos multo terribiliora viderit quam ipse Ulixes. Cf. Schol.

Phileb. 17 E *ἄπειρον* primum infinitum, deinde imperitum significat; dicit enim Socrates: „*τὸ δ' ἄπειρόν σε ἑκάστων καὶ ἐν ἑκάστοις πλῆθος ἄπειρον ἑκάστοτε ποιεῖ τοῦ φρονεῖν*

καὶ οὐκ ἐλλόγιμον οὐδ' ἐνάριθμον, ἅτ' οὐκ εἰς ἀριθμὸν οὐδένα ἐν οὐδενὶ πώποτε ἀπιδόντα." Etiam vocabula *ἐνάριθμον* et *ἀριθμὸν* lusum continent, cum *ἐνάριθμον*, quod vocabulum ab *ἀριθμὸς* ductum est, eum significet, qui auctoritate multum valet, *ἀριθμὸς* autem paullo infra proprio sensu positum sit. Cf. Stallb.

Vocabulum *ἄπειρος* eodem modo, quo hic, usurpatum est Tim. 55 C: *τὸ μὲν ἀπείρους ἡγήσαιτ' ἂν ὄντως ἀπείρου τινὸς εἶναι δόγμα ὧν ἔμπειρον χρεὼν εἶναι,* etc. Cf. Stallb.

Euthyphr. 3 E — 4 A: *Διώκω. Τίνα; Ὃν διώκων αὖ δοκῶ μαίνεσθαι. Τί δέ; πετόμενόν τινα διώκεις;*

Hoc loco *διώκειν* primum per translationem significat reum facere, deinde proprie dicitur.

Similiter luditur Eythydem. 284 E: *Καὶ τοὺς μεγάλους, ἔφη ὁ Εὐθύδημος, μεγάλως λέγουσι καὶ τοὺς θερμοὺς θερμῶς; Μάλιστα δήπου, ἔφη ὁ Κτήσιππος· τοὺς γοῦν ψυχροὺς ψυχρῶς λέγουσί τε καὶ φασὶν διαλέγεσθαι.*

Vocabulum *ψυχρὸς* primum ut superiora vocabula (*μεγάλους μεγάλως, θερμοὺς θερμῶς*) proprio sensu positum est, deinde per translationem significat tale genus colloquendi, quo taedium audientium moveatur, quod etiam Latine frigidum, Germanice frostig vocatur.

Theaet. 171 C: *οὐδενὶ ἂν εἴη ἡ Πρωταγόρου ἀλήθεια ἀληθής, οὔ τέ τινι ἄλλῳ οὔτ' αὐτῷ ἐκείνῳ.*

Hoc loco sive *ἀλήθεια* est nomen libri cuiusdam Protagorae, qui sic inscribebatur, sive id significat, quod Protagorae verum esse videbatur (id quod probabilius est), lusus est. Nam *ἀλήθεια* hic est opinio Protagorae, *ἀληθής* id, quod vere verum est („subjektive und objektive Wahrheit").

Laches 188 C: *Ἁπλοῦν τό γ' ἐμόν, ὦ Νικία, περὶ λόγων ἐστίν· εἰ δὲ βούλει, οὐχ ἁπλοῦν, ἀλλὰ διπλοῦν.*

Stallb. hoc de loco dicit: „Dilogia haud inelegans, quandoquidem *ἁπλοῦν* primo loco est *ἀφελές*, deinde proprio sensu intellegitur; de qua re monuit Jakobs."

Lys. 210 D: *Οἷόν τε οὖν ἐπὶ τούτοις, ὦ Λύσι, μέγα φρονεῖν, ἐν οἷς τις μήπω φρονεῖ;*

Φρονεῖν est prudentem esse, *μέγα φρονεῖν* significat se iactare aliqua re.

Nec semper est lusus, cum vocabulum quoddam paullo post alia significatione ponitur atque antea. Si enim in sophistarum conclusiunculis fallacibus subito verbo cuidam alia vis tribuitur atque antea, ut colloquentes decipiantur et perturbentur, non lusus, sed fraus sophistica existimanda est. Huius rei exempla inveniuntur in Eythydemo, ut 287 D—E, ubi verbum *νοεῖν* primum significat id, quod ratione praeditum est, deinde „*τὸ ῥῆμα νοεῖ*“ idem est quod: vocabulum significat sive valet. Dicuntur enim a Dionysodoro et Socrate haec: „*Πότερον οὖν ψυχὴν ἔχοντα νοεῖ τὰ νοοῦντα, ἢ καὶ τὰ ἄψυχα; Τὰ ψυχὴν ἔχοντα. Οἶσθα οὖν τι, ἔφη, ῥῆμα ψυχὴν ἔχον; Μὰ Δία οὐκ ἔγωγε. Τί οὖν ἄρτι ἤρου, ὅ τί μοι νοοῖ τὸ ῥῆμα;*

Resp. 560 C: *οὔτε πρέσβεις πρεσβυτέρων λόγους ἰδιωτῶν εἰσδέχονται*, etc.

Stallb. haec ita interpretatur: „Neque sermones hominum privatorum, aetate provectiorum, qui tamquam oratores mittuntur, admittunt.“

Resp. 507 A: *Βουλοίμην ἄν, εἶπον, ἐμέ τε δύνασθαι αὐτὴν ἀποδοῦναι καὶ ὑμᾶς κομίσασθαι, ἀλλὰ μὴ ὥσπερ νῦν τοὺς τόκους μόνον. τοῦτον δὲ δὴ οὖν τὸν τόκον τε καὶ ἔκγονον αὐτοῦ τοῦ ἀγαθοῦ κομίσασθε.*

Τόκος significat et prolem et usuram. Hac vocabuli ambiguitate, quod et hoc loco et paullo infra primum usuram significat (*τοὺς τόκους μόνον*), deinde (*τὸν τόκον τε καὶ ἔκγονον*) cum *ἔκγονον* coniunctum significat prolem, simul alluditur ad alteram significationem; postremo (507 A: *εὐλαβεῖσθε μέντοι, μή πῃ ἐξαπατήσω ὑμᾶς ἄκων, κίβδηλον ἀποδιδοὺς τὸν λόγον τοῦ τόκου.*) iterum usuram significat, alluditur ad prolem. Cf. Ast et Stallb.

Vocabula *τόκος* et *ἔκγονος* coniuncta invenimus etiam Resp. 556 A: *καὶ τοῦ πατρὸς ἐκγόνους τόκους πολλαπλασίους κομιζόμενοι*, etc.

Leg. 658 B: *οὐ θαυμαστὸν δὲ εἴ τις καὶ θαύματα ἐπιδεικνὺς μάλιστ' ἂν νικᾶν ἡγοῖτο.*

Cum *θαυμαστὸν* valeat mirum, *θαύματα* machinae quaedam sint, lusus efficitur. Cf. Stallb.: „Ceterum observes hic quoque paronomasiam etc."

Tim. 69 A: *Ὅτ' οὖν δὴ τὰ νῦν οἷα τέκτοσιν ἡμῖν ὕλη παράκειται τὰ τῶν αἰτίων γένη διυλισμένα,* etc.

Facete ab vocabulo *ὕλη* ducitur *διυλίζειν,* quod verbum Stallb. *ἅπαξ εἰρημένον* vocat et interpretatur: „materiae instar praeparata ac digesta."

Hipp. min. 373 A: *Ἀλλ' ὦ Σώκρατες, οἶμαι οὐδὲν δεήσεσθαι Ἱππίαν τῆς ἡμετέρας δεήσεως.* Hoc loco *δεῖσθαι* egere significat, *δέησις* rogationem. Ast interpretatur: „arbitror non opus esse Hippiae nostra rogatione;"

Etiam oxymora quaedam in lusibus numerandi sunt:

Politic. 299 E: *ὁ βίος ἀβίωτος γίγνοιτ' ἄν.*

Cf. Apol. 38 A: *βίος οὐ βιωτός.*

Symp. 198 A: *ἀδεὲς δέος δεδιέναι.*

Resp. 333 D: *ἐν μὲν χρήσει ἄχρηστος, ἐν δὲ ἀχρηστίᾳ χρήσιμος.*

Leg. 802 E: *ῥυθμῷ ἀρρυθμεῖν.*

Leg. 853 D: *χάριν οὐκ ἐπίχαριν* (Ast: „gratiam haud gratam").

Parmenid. 137 B: *πραγματειώδη παιδιὰν παίζειν.*

Hos verborum lusus apud Platonem repperi. Sunt autem, ut supra commemoravimus, etiam annominationes quaedam, quae nihil faceti continere videntur, sed similitudine vocum tantum aures in se convertunt.

Hi lusus vocandi sunt lusus soni (Kuno Fischer: Klangwitz"). Cum autem multi faceta esse arbitrentur, quae aliis non videantur, et saepe disceptari possit, utrum lusus sit verborum lusus an soni, in appendice posui eos Platonis lusus soni, qui mihi commemoratione digni esse videbantur.

Appendix.

Leg. 657 C: *μετὰ χορείας χρείαν.*

Ibid. 837 C: *ὁρῶν δὲ μᾶλλον ἢ ἐρῶν,* Cf. Stallb.

Ibid. 956 E: *κληρώσεις δὲ δικαστηρίων καὶ πληρώσεις.* Stallb. vocat parechesin.

Ibid. 656 C: *παιδείαν τε καὶ παιδιάν.* Cf. Stallb.

Ibid. 832 D: *παιδείαν τε ἅμα καὶ παιδιάν.*

Laches 188 B: *ἐμοὶ μὲν οὖν οὐδὲν ἀηθες οὐδ' αυ ἀηδές.* Stallb.: „paronomasia."

Gorg. 493 A: *καὶ τὸ μὲν σῶμά ἐστιν ἡμῖν σῆμα.*

Cratyl. 400 A: *τί σοι δοκεῖ ἔχειν τε καὶ ὀχεῖν ἄλλο ἢ ψυχή;*

Ibid. 408 C: *λεῖον καὶ θεῖον.* Cf. Stallb.

Soph. 228 A: *διαφθορᾶς διαφοράν.*

Resp. 575 D: *μητρίδα — πατρίδα.*

Leg. 764 D: *φοιτήσεων — οἰκήσεων.*

Hipp. mai. 301 D: *ἡμεῖς γάρ, ὦ βέλτιστε, οὕτως ἀβέλτεροι ἦμεν.*

Eythydem. 295 A: *ἕρμαιον αὐτοῦ ἂν εὕροιμι.*

Cratyl. 408 C: *τραχὺ καὶ τραγικόν.*

Ibid 417 E: *προαύλιον στομαυλῆσαι.*

Theaet. 149 B: *λοχείαν εἴληχε.*

Symp. 185 C: *Παυσανίου δὲ παυσαμένου.* Stallb.: „Ludit simili verborum sono."

Resp. 474 E: *εὐχερῶς φέροντες τὴν ὠχρότητα.*

Ibid. 489 B: *ὁ τοῦτο κομψευσάμενος ἐψεύσατο.*

Ibid. 533 D: *ἐν βορβόρῳ βαρβαρικῷ.*

Critias 106 B: *πλημμελοῦντα ἐμμελῆ.*

Similiter Leg 816 A: *ἐμμελῶς — πλημμελῶς.*

Ibid. 687 E.: *οὐ τοῦτο εὐκτέον οὐδέ ἐπεικτέον.*

Ibid. 790 C: *τιθήνησιν καὶ κίνησιν.*

Ibid. 823 E: *ὠμοὺς καὶ ἀνόμους.*

Gorg. 448 C: *ἐμπειρία κατὰ τέχνην — ἀπειρία δὲ κατὰ τύχην.*

In fine ponemus illum Convivii locum, ubi Plato Agathonem, quem quaesitam illam concinnitatem et inanem verborum sonitum, cuius dicendi generis gravissimum auctorem Gorgiam Leontinum exstitisse constat, imitatum esse traditum est, Amorem his verbis collaudantem facit:

Conv. 197 D: *οὗτος δὲ ἡμᾶς ἀλλοτριότητος μὲν κενοῖ, οἰκειότητος δὲ πληροῖ, τὰς τοιάσδε ξυνόδους μετ' ἀλλήλων πάσας τιθεὶς ξυνιέναι, ἐν ἑορταῖς, ἐν χοροῖς, ἐν θυσίαις γιγνόμενος ἡγεμών· πρᾳότητα μὲν πορίζων, ἀγριότητα δ' ἐξορίζων· φιλόδωρος εὐμενείας, ἄδωρος δυσμενείας· ἵλεως ἀγαθοῖς, θεατὸς σοφοῖς, ἀγαστὸς θεοῖς· ζηλωτὸς ἀμοίροις, κτητὸς εὐμοίροις· ἁβρότητος, χλιδῆς, χαρίτων, ἱμέρου πατήρ· ἐπιμελὴς ἀγαθῶν, ἀμελὴς κακῶν·* etc.

Illa Agathonis oratione, quae hunc locum continet, Plato illud sophisticum dicendi genus imitatus est, non suum expressit. Erat enim contemptor tumidi et inanis verborum strepitus, modico orationis ornatu contentus, quam virtutem imprimis Atticorum propriam fuisse constat.